



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Quæstio I. Proœmialis. De Varijs Juris Acceptionibus & Divisionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](#)

# QUÆSTIO I. PROOEMIALIS.

## *De Variis Juris Acceptationibus & Divisionibus.*

1. **H**is nonnunquam idem dicit, quod justum: justum autem potest lumi dupliciter. Primum enim omne, quod legibus, & recte ratione conforme est, justum dicitur, aut legitimū; & justum, sive jus taliter acceptum non est objectum specialis virtutis, cùm omnis virtus hanc cum legis & recte ratione conformitatem obseruat. Secundū sumitur justum pro eo, quod alteri ex rigorosa iustitiae obligatione deberur, quo modo justum, est objectum specialis & rigorosae iustitiae, quæ communiter definitur *confians*, & perpetua voluntas jus sum (sive justum, ac debitum ad æqualitatem) *cuique tribuendi*.

2. Accipitur nonnunquam jus prout idem est, ac potestas moralis sive facultas à legibus concessa de re aliqua libere disponendi. Juxta quam acceptio nem dicitur vendor v. g. jus suum transferre in emptorem, hæres in jus testatoris succedere, Domius iure suo uti &c. & juxta hanc acceptio nem aliud dicitur habere jus proprietatis, disponendi scil. in proprium commodum: aliud habere jus Jurisdictionis, disponendi scil. in commodum subditorum: aliud habere jus in re, sive reale, quod rem ita respicit, ut, ad quemcunque ea devenerit, semper

*Compendium Pirkingianum.*

transeat cum hoc onere, ut eam persequi possim, apud quemcunque existat, quale est jus Dominij directi, aut utilis, jus servitutis, jus pignoris &c. alius denique jus ad rem, sive personale, vi cuius non ipsam rem ex contractu v. g. vel quasi contractu mihi debitam &c. persequi possum, sed personam convenire, quæ mihi ad aliquid præstandum &c. est obligata.

3. Nonnunquam accipitur jus prout idem dicit, ac locus, ubi judicium exercetur, ita dicitur aliquis in jus vocari, in jus ambulare, in jure comparere &c. id est ad locum, vel in loco judicij &c. nonnunquam prout idem dicit ac ipsa Judicis sententia; sic dicitur litigantibus jus dictum, id est, sententia dicta, nonnunquam prout idem dicit, ac Juris scientia, quomodo sumitur, cùm jus definitur ars boni & aequi, vel cùm dicitur *Jurieprudentia esse*, divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque injusti scientia, id est, scientia, quæ docet, quid justum & injustum sit, quid ad divinum cultum & res sacras ac profanas, ad Reipublicæ ac hominum bonum spectat &c. Hæ autem & similes plures acceptio nes, quamvis scitu utiles sint, ut ne ex varia juris acceptio ne confundatur aliquis, potissima tamen est, qua vel maximè attenditur, juxta quam

A

4. Jus

Quæstio I. Proæmialis.

2.  
4. *Jus accipitur*, prout idem dicit, ac lex, quæ est regula justi; & juxta hanc acceptiōē *Jurisperiti* aliud non nunquam dicunt *Jus naturale*, aliud *Jus Gentium*, aliud *Jus positivum*. *Jus naturale* in genere quidem, & latè loquendo, prout hominibus cū brutis commune est, aliud non est, quām ipse instinctus & propensio natura sensitiva, ad vita conservationem, ad speciei propagationem, & media ad tales fines necessaria &c. inclinans; quæ juris naturalis acceptio, abusiva magis, quām propria, est. Propriæ ergo, prout soli naturæ rationali competit, *jus naturale* est, lumen illud rationis, ab Auctore naturæ homini v. g. inditum, quo, secluso omni also precepto positivo, discernit quadam agenda, & quadam omittenda &c. Dicitur autem hoc *jus naturale* esse immutabile, & indispensabile, ed quod illius obligatio non ex libera præcipientis voluntate, sed ex ipsa rei præceptæ, aut prohibitiæ naturæ proveniat, quæ manens semper eadem, semper eandem bonitatem, aut malitiam retinet. Quod si tamen materia illa, que jure naturali in certis circumstantijs prohibetur, mutatur, ratione aliquujus circumstantiæ advententis, aut subtrahentis, vel immutantur, vel quod hic & nunc bono privato bonum commune, bono inferioris ordinis bonum superioris ordinis &c. præferendum sit &c. potest materia illa sub talibus circumstantijs non tam juris naturalis esse, quām positivæ tantum prohibitionis à libera voluntate pendentis, quæ per dispensationem licita fieri potest, vel etiam absque dispensatione esse licita; ita licet jure naturæ

prohibeatur innocentem occidere, retinere alienum &c. potest tamen utrumque in certis casibus, in circumstantijs v. g. extremæ necessitatis, ad vitam propriam conservandam, ad justam defensionem &c. esse licitum.

*Jus gentium*, si rigidè illud accipere placeat, prout à jure naturali distinguitur, illud dicitur, quod omnibus quidem hominibus, aut ferè omnibus communne, & proprium est, ita tamen, ut non ex solo rationis instinctu ortum suum habeat, sed humanis postmodum utilitatibus, aut necessitatibus ita exigentibus, usu, ac moribus omnium, aut ferè omnium gentium introductum est, per modum legis præceptiva, aut saltem permissiva, quo jure introducta sunt bella, paces, fædera, captivitates, servitutes &c. & contractus ferè omnes. Distinguunt tamen etiam aliqui inter *jus Gentium*, ita ut aliud dicant primarium cum ipsis hominibus ortum habens, & à DEO naturaliter mentibus inditum, aliud dicant secundarium, quod quidem ex ratione naturali proficiuntur, ita tamen, ut non solo naturæ lumine hominum mentibus sit inditum, sed ob varias necessitates, & utilitates sit introductum, & apud omnes ferè homines usu receptum: quia tamen prius membrum hujus divisionis cum jure naturali coincidit, hinc magna hujus divisionis utilitas non est.

*Jus positivum* denique dicitur illud, quod liberâ DEI, vel hominis voluntate sancitum vel latum est. Et hoc quidem aliud Divinum est, quod à DEO, vel Christo Homini DEO latum est; aliud humanum, quod proximè ab humana autoritate conditum est. Divinum

nun positivum aliud vetus, aliud Novum est. Vetus est, quod Deus in veteri testamento tulit, & triplicis generis præcepta continebat: Moralia scil: quæ ad mores componendos pertinebant, qualia sunt præcepta Decalogi: cæteræ ðialia, quæ ad ceremonias & ritus Religionis, quæ debitus Deo cultus, honor & veneratio defertur, pertinebant: & Judicialia, quæ ad bonâ Civilem Reipublica administracionem pertinebant, quibus humana Civium salus, pax & tranquillitas conservabatur. Novum est, quod Christus Homo DEUS in novo testamento condidit, & potissimum Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum præcepta continet. Jus humanum positivum subdividi solet, in Jus publicum, & privatum: Jus publicum dicitur illud, quod tractat de illis præcipue, quæ ad publicam utilitatem totius Communitatis spectant, & requiruntur, uti sunt publici Magistratus, & Sacra, Sacerdotes &c. Jus verò privatum dicitur, quod ad singulorum Civium privatam utilitatem principaliter refertur, quamvis accessoriè, & ex consequente in publicam etiam utilitatem redundet, quales sunt leges de contractibus, de Judicijs &c. Utrumque hoc jus iterum subdividi potest in *Canonicum*, & *Civile*. *Canonicum* est, uti illud ex Gregorio Tholosano & Lancellot. definitur, quod à summis Pontificibus Ecclesia Catholica traditum, constitutum, vel approbatum, actiones fideliuum seu

Christianorum proximè ad Divisum cultum, ad pacem, & justitiam Christianam, in populo Christiano conservandam, & augendam, ultimè verò ad finem eternam beatitudini dirigit. *Jus Civile* verò est, quod auctoritate Principis, vel Magistratus Secularis est conditum, ad Reipublicæ Civilis gubernationem, & temporalem pacem, ac salutem Civium conservandum, ut adeò differentia Juris Canonici à Civili non tantum ex parte cause efficientis, sive ferentis leges (ratione cuius *Jus illud* etiam Pontificium dicitur, eò quod à Pontifice latum fuerit, aut in vim legis approbatum) Hoc verò Imperatorum, Cæsareum, Regium, Municipale &c. dicitur, ob diversam legislatoris leges has Civiles ferentis, vel in vim legis approbantis &c. auctoritatem) sed etiam ex parte finis, quem proximè diversa hæc iura intendunt, claram habeatur; quam finis diversitatem satis etiam exprimit Panormit. in proœmio *Decretalium*, dum dicit: *Jus Civile* intendere hominem dirigere in bonum commune, secundum quod congruit humanæ Societati civiliter viventi, cuiusmodi vita consistit in legali Justitia, & Civili amicitia: *Jus Canonicum* veò intendere hominem dirigere ad bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati, quatenus non solum civiliter vivit, sed secundum fidem, in DEUM intendendo, & vitam aliam expectando.



A 2

QVE-